



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

xx. Remedium accipitris lente comedentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

factis fouebis accipitrem, atque hoc em-
 plastrū adhibebis, quod recipit mastichæ,
 alumnis scissilis, resinæ albæ, singulorum
 vnciam, mel quod satis sit ad illa excipien-
 da, vna misceto, ex hisque emplastrum fa-
 cito. Ulcera tamdiu inunges, donec expur-
 gata sint. Carnes edat quasiibet feruefactas,
 duntaxat à bubula abstineat: ramentum
 ferri excidens ex incude terito, cribrato, &
 ex carne suilla dato accipitri.

Ad tumorem nuncupatum cælen.

TUMORE nuncupato cœle laborantem
 accipitrem, ita curabis. Herbæ appel-
 latæ galatæ, corianni radicis, singularum
 siliquas tres, piperis grana septem, radicum
 apij & prassi, singulorum siliquam, oleum
 rosaceum, & mel bonum pari mensura,
 dabis accipitri, & ad sanitatem perueniet.

Remedium accipitris lente comedentis.

SI accipitrem videas lente edentem, &
 cibum in faucibus restitantem, scito
 ipsum afflictum esse ex labore laterum. Ita
 ipsum sanabis. Seminis apij, croci, nasturtij,
 euphorbij, singulorum siliquam, costi, me-
 dullæ ceruinæ, vini boni, corianni, cumini,
 singulorum siliquas binas: vnà conterito,
 ex eoque medicamentum facito, accipi-

R iij

trique præbeto ex carne qualibet.

Ad tineas seu lumbricos.

ACCIPITREM tineis vexari cognosces ex eo, quod caudam frequenter motitet. Liquidam picem mundam, oleum Hispanicum, mel, miscebis vnà, per triduum dabis accipitri ex carne. quod si amplius feceris, magis illum adiuuabis. Alij rutam ex oleo Hispanico coquunt, eoq. accipitris cibum conspergunt & curant. Vel corianum cum oleo contundunt, eoque escam accipitris respergunt. Vel allium, pulegium, erucam, vnà contundunt, hisque carnem sparsam dant accipitri. Aut ipsas tineas combustas ex carne suilla per triduum dant accipitri. Aut ceruinam medullam, simul cum carne inferuefacta tribus diebus dant, & sanitatem restitunt.

Ad faucium pustulas crebris tumoribus exasperatas.

NVCIS oleo veteri & buryro simul mistis accipitris palatum fricabis, aut iisdem illius cibum consperges, aut betæ radicem & synapi contundes & subiges, & iis nares & palatum illines: itaque omnem capitis dolorem discuties.